

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Ioannis Andrae Hoffmanni Ivris Vtrivsque Doctoris In
Academia Ienensi Collectio Selectorvm Opvscvlvm De
Vnionibvs Electorum S.R.I.**

Hofmann, Johann Andreas

Ienae, MDCCLII

VD18 12896357

Capvt XXII. De Ordine Processionis Principvm Electorum, Et Per Qvos
Insignia Deportentvr.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18247

§. III. Dum autem Imperator vel Rex absque insigniis eisdem inceserit; Ex tunc idem Archiepiscopus Imperatorem vel Regem praefato modo praecedat, ita quod nemo penitus inter eos medius habeatur, aliis duobus Archiepiscopis Electoribus loca sua iuxta distinctionem Provinciarum suarum, circa sessionem (*) superius declaratam, etiam circa processionem perpetuo servaturis.

CAPVT XXII.

DE ORDINE PROCESSIONIS PRINCIPVM ELECTORVM, ET PER QVOS INSIGNIA DEPORTENTVR.

§. I.

Ad declarandum autem in Imperatoris vel Regis Romanorum deambulantis praesentia, processionis ordinem Principum Electorum, de quo supra fecimus mentionem, statuimus, vt, quotiescunque in celebratione Imperialis Curiae, Principes Electores cum Imperatore vel Rege Romanorum in quibuscunque actibus vel solennitatibus, processionaliter ambulare contigerit, & Imperialia vel Regalia debuerint insignia deportari, Dux Saxoniae, Imperialem vel Regalem ensẽ deferens, Imperatorem seu Regem immediate praecedat, & inter illum & Archiepiscopum Treuerensem medius habeatur. §. 2. Comes vero Palatinus pomum Imperiale portans, a latere dextro. §. 3. Marchio Brandenburgensis sceptrum deferens, a sinistro latere ipsius Ducis Saxoniae linealiter gradientur. §. 4. Rex autem Bohemiae Imperatorem seu Regem ipsum immediate, nullo interueniente, sequatur.

CAPVT XXIII.

DE BENEDICTIONIBVS ARCHIEPISCO-
PORVM IN PRAESENTIA IMPERATORIS.

§. I.

Quoties insuper in Imperatoris vel Regis Romanorum praesentia, Missarum solemnities celebrari, ac Moguntinen-

(*) Cap. 3.